Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

hh Cum enim plenitudo gentium subintro ł erit tunc salua omnis isrl
nem donec plenitudo gentium subintraret; hh
qui per incredulitatis duritiam factus fuerat sicut lapis
seducebatur; Et uis uidere quomodo seducebatur.
potens est inquit deus de lapidibus suscitare filios
abrahae; Manent ergo lapides nunc donec transeat
populus tuus domine. populus tuus hic quem adquisisti. Sed
si ipse dominus creator est omnium uidendum est quomodo hic
adquisisse dicatur quae sua esse non dubium est; dicitur et
in celio cantico deuteronomii; Nonne hic ipse deus tuus
qui fecit te et creauit te et adquesiuit te. Uidetur
enim unusquisque illud adquirere quod non fuit suum;
inde denique et heretici dicunt de seductore quia non
erant sui quos adquisiuit. Dato etenim pretio mercatus
est homines quos creator fecerat. et certum est
aiunt unumquemque illud emere quod suum non est
Apostolus enim ait pretio empti estis. Sed audi quid dicat
propheta. Peccatis uestris uenundati estis. et pro iniquita
tibus uestris dimisi matrem uestram. Uides ergo quia
dei quidem creatura omnes sumus. Unusquisque uero
peccatis suis uenundatur. et pro iniquitatibus suis
a proprio creatore discedit. Dei igitur sumus secundum
quod ab eo creati sumus. Effecti uero sumus serui dia
boli secundum quod peccatis nostris uenundati sumus.
Ueniens autem Christus redemit nos cum seruiremus illi domino.